

VII, 17.

2.602.

3.
4.
5.
6.

Q. D. B. V.

3
REGIS
HUNGARIÆ
CORONATIO,
ACTU ORATORIO,

IN SCHOLA

SCHWARTZBURGICA

ARNSTADIENSI,

D. VI. Februarij, A. O. R. cl. Inc. LXXXVIII.

H. L. Q. C.

habendo,

representanda,

dirigente

M. JOH. FRIDERICO TREIBERO,

Rectore.



ARNSTADIÆ,

TYPIS MEURERIANIS.

3.
Le. Junbha
Schwarzb.



Oronationem REGIS HUNGARIAE, *Actu Oratorio*, repræsentaturis nobis in mentem venit GUNTHERUS SCHWARTZBURGICUS, qui annō Christi 1349, d. 2. Febr. IMPERATOR Romano-Germanicus est electus. Non immeritò verò dolemus vel temporum injuriam, vel librariorum incuriam, quòd hujus GUNTHERI IMPERATORIS & *Majores & Nativitas &* alia admodum incongruè ab Historicis sint consignata. Inter modernos Scriptores, velat Dux, & se, & omnes ipsum sequentes, in erroris foveam præcipitat *Conradus Rittershusius*, qui in *Genealogiis* suis GUNTHERO huic assignavit *Genitorem HENRICUM, Comitem Schvartzburgicum*, qui Erfordix, annō Christi 1313, morte fuerit abreptus. Errasse autem *Rittershusium*, patet partim ex eo, quòd *Parents GUNTHERI* adhuc vixit anno 1324, ut postea ostendetur; partim, quòd *Rittershusius* confundit GUNTHERI *parentem* cum *Ejusdem atavo*. Non enim annō 1313, qui annus incidit in *Imperii HENRICI VII. finem*; sed tempore *Imperatoris FRIDERICI BARBAROSSÆ, Effurti Comitibus celebrantis*, casus ille infortunatus contigit, quòd *COMES prædictus* juxta cum aliis quinque Comitibus, corruente ædificiò, Erfurti periit anno 1184. d. 26. Julii, juxta omnium Historicorum consensum. Quæcunque ergo assumatur hypothesis de *Nativitate GUNTHERI Imperatoris*, & dicatur natus, vel annō 1304, vel, juxta *Onuphrium Panvinium*, annō 1305, vel, juxta alios, anno 1312, absurdum illud inde sequitur, quòd *Parents GUNTHERI* ultra centum & viginti annos fuerit mortuus, antequam ipse GUNTHERUS, filius, fuerit natus. Et ut error eò clarius ad oculos appareat, *Majores GUNTHERI*, cum nonnullis monumentis, ex *Æde Franciscanorum Arnstadiensi*, apponemus. Fuit autem ipsius *Parents HENRICUS XII. Comes Schvartzburgicus, Dominus Blankenburgi*, n. 1287. † 1324. qui duas habuit *Conjuges*: 1. CHRISTINAM, ex qua inter alios genuit hunc GUNTHERUM XXI, electum *Imperatorem Romanum*: 2. UTHAM, quæ sterilis fuit. Et hæc UTHA, *Imperatoris GUNTHERI noverca*, sepulta est *Arnstadiæ*, ubi in *Templo Franciscanorum* monumentum *Ejus sepulchrale* videre licet hoc: ANNO DOMINI c^o. ccc. XLVI. OBIT DOMINA UTHA COMI-

COMITISSA RELICTA DNI HENRICI COMITIS DE SWARTZ-
 BURG KL. APR. AVUS ipsius fuit HENRICUS X, Comes Schvartzbur-
 gicus, Dn. Blanckenburgi, Autor Linea Blanckenburgica. Proavus fuit
 GUNTHERUS VII. Comes Schvartzb. n. 1230. † 1275. Abavus
 fuit HENRICUS VII. Com. Schvartzb. † 1250. cujus uxor Irmen-
 gardis Comitissa de Kefernburg. Atavus fuit HENRICUS VI. †
 1184. Et hic est, qui Erfurti periit, & qui cum GUNTHERI Im-
 peratoris Genitore confunditur. Forrò minus recte Fratres eidem
 vulgò assignantur. Fratres ejus dicuntur fuisse GERHARDUS,
 primum Episcopus Numburgensis, postea Herbipolensis & Dux Franconia:
 HENRICUS & JOHANNES. Sed omnia hæc absque funda-
 mento. Non quidem negamus, GERHARDUM, Comitem
 Schvartzburgicum, n. 1354. † 1400. fuisse Episcopum Herbipolensem &
 Ducem Franconia; sed sciendum, quòd GERHARDUS hic fuerit
 HENRICI XX. Comitis Schvartzburgici, Auctoris Linea Leutenber-
 gica, frater: inde Episcopum jam laudatum, Imperatoris GUNTHERI,
 ex Linea Blanckenburgica oriundi, fratrem fuisse inficiamur: uti & illud
 falsum existimamus, quod Ipse Imperator inter fratres fuerit natu
 maximus; cum potius fuerit natu minimus. Natu maximus,
 & primogenitus fratrum fuit HENRICUS XV. Comes Schvartzb.
 Dn. Blanckenburgi & Arnstadie, n. 1296. † 1336. Et ab hoc in hunc
 usque diem descendunt serie recta Illustrissimi COMITES
 SCHWARTZBURGICI. Secundò genitus frater fuit GUNTHERUS
 XX. n. 1297. Canonicus Magdeburgensis, † 1314. Et hujus GUN-
 THERI Canonici monumentum sepulchrale etiam videre licet
 Arnstadii, in Templo Franciscanorum, cui in scripta sunt hæc verba:
 ANNO DOMINI. CL. CCC. XIII. I. VIGIL. SCI. MICHAEL. OBIIT
 DNS. GUNTHER CANONICUS MAGDEB. FILI. DO. COM. D.
 SWARTZBURG. Tertiò genitus tandem fuit Imperator GUN-
 THERUS. Ha' vit etiam Sororem natu minorem, cui nomen
 JUTTA vel JUDITHA, n. 1316. † 1352. 3. Decembr. quæ fuit uxor
 ALBERTI Comitis de Barby, qui restauravit Mülingen, † 1358.
 At ut fratres hosce jam dictos GUNTHERI confirmat etiam Ge-
 nealogia, quæ ex vetusto manuscripto circumfertur, cujus auto-
 ritas quamvis sit dubia, nihilominus tamen ibi circa finem ex-
 pressè tres fratres nominantur GUNTHERVS, HENRICVS,
 GVN-

GUNTHERUS, qui ultimus est Imperator GUNTHERUS, & contradicitur priori hypothefi, quæ fratres assignat GERHARDUM, HENRICUM & JOHANNEM. Atque ex hisce patet, quanti commiffi hætenus fuerint errores, qui, ne porro propagentur, fuere indicandi. Hodie majori de felicitate nobis gratulari possumus, quod meliori diligentia confignentur *Magnatum Nativitates & res gestæ*. Sic *Archi-Dux Austria*, JOSEPHUS, natus est Inviçtiffimo nostro LEOPOLDO, ex III. Conjuge, *Eleonora Magdalena*, PHILIPPI WILHELMI, *Ducis Neoburgici, moderni Electoris Palatini*, filia, d. 26. Julij, 1678. qui in REGEM HUNGARIÆ coronatus est *Posonii, in Templo Sancti Martini*, d. 9. Decembr. 1687. mutatõ regnõ, quod antea *Electivum*, in Regnum *Hereditarium*. Et hæc Coronatio materiam suppeditavit ACTUI nostro ORATORIO, in quo perorabunt sequentes Musarum nostrarum alumni:

I. JOHANNES CHRISTOPHORUS *Struve* / *Eblebiensis*, Cancellarii Ungarici nomine ad Ordines Ungaricos, *Posonii* congregatos, Orationem habebit proæmialem,

II. CASPARUS *Stange* / *Elberbergâ-Hassus*, sub persona Inviçtiffimi nostri Cæsaris, LEOPOLDI, pro Sereniffimo filio, JOSEPHO, successionem, & coronationem in Ungariæ Regem, à Proceribus Ungariæ postulabit.

III. FRIDERICUS WILHELMUS *Schneider* / *Cranichfeldensis*, Statuum Hungariæ nomine respondebit, postulata Coronationi contradicet, & differendum negotium svadebit.

IV. JOHANNES MARTINUS *Thym* / *Waltershusanus*, sub persona Archi Episcopi Strigoniensis Hungariæ Statuum decretum, quõ vota sua, re alius ponderatâ, Cæsareæ Majestatis voluntati conformarint, ipsi Cæsari significabit.

V. JOHANNES TOBIAS *Kaiser* / *Eblebiensis*, Regi, JOSEPHO, Coronationem, Hungariæ Ordinum nomine, gratulabitur.

VI. JOHANNES GEORGIUS *Schendel* / *Arnstadiensis*, sub persona REGIS JOSEPHI, Statuum gratulationi respondebit.

Vos ergõ PROCERES ARNSTADIENSES, omnesque Urbis nostræ LITERATI, adeste, & gravi vestrâ præsentia PERORATUROS nostros ad ulteriorem industriam excitate, gratõ observantiqûe animõ beneficium hoc agnituros nos sanctè pollicemur. P.P.

Arnstadiæ d. V. Febr. A.R.S. clõ. Ioc.

LXXXVIII,

Ms. 180

ULB Halle

3

004 972 384




+

VD 17

Ms





HU

A
D. VI. Fe

M. JO

IAE
O,

NSI,
LXXXVIII.

EIBERO,

*De Junthor
Schwarz*

3

